

næ & hypostasi non quidem secundum se, sed secundum naturam, in qua concipitur & nascitur, sed de his plura infra Disp. XII.

DISPUTATIO II.

De motivo & necessitate Incarnationis.

Ultimus & generalis finis Incarnationis sicut omnium divinorum operum est Dei & divinarum perfectionum ostensio; hic autem examinatur finis specialis, quem Deus decernendo incarnationem respexit, & ob quam Verbum incarnari voluit, ita, ut si talis finis non fuisset, vi presentis decreti Christus non venisset. Deinde quaestio de necessitate Incarnationis potest esse vel de necessitate absoluta, vel de hypothetica, sive ex hypothesi: nempe ex suppositione decreti, quo Deus humanum genus, non nisi per condignam satisfactionem pro peccatis exhibitam, in gratiam recipere voluit.

QUAESTIO I.

An Incarnatio necessaria ad reparationem Generis humani?

DICO. *Ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter uno modo, sine quo aliquid esse non potest... alio modo per quod melius & convenientius pervenitur ad finem... Primo modo Deo incarnari non fuit necessarium ad reparationem humane naturae... Secundo autem modo necessarium fuit, Deum incarnari ad humane naturae reparationem. S. Th. hic Q. 1. a. 2. O. Sive nec absolutè secundum*

cundum se, nec ad reparationem humani generis fuit necessaria incarnatio, sed tantum, ut illa convenientiù fieret.

Prima pars probatur. Imprimis cum Deus sit supremus omnium Dominus, ab intrinseco beatus, sibi que sufficientissimus, non necessitatur nec moraliter, nec physicè aliquid operari ad extrà, si enim indigeat vel physicè, vel moraliter aliquo extra se, est imperfectus; cum indigentia sit imperfectio, atqui per incarnationem Deus communicat se ad extra ergo. Deinde alia à se Deus non vult tanquam finem, sed tanquam media; sed nullum medium vult necessariò: quia nullum est, quod habeat necessariam connexionem cum sua bonitate increata; quippe quam à se ipso habet independenter à creatura.

Secunda pars probatur. Sine quo poterat Deus humanum genus absolutè reparare, illud non est ad finem reparationis humani generis absolutè necessarium; atqui sine incarnatione potuisset Deus humanum genus reparare: quia est omnipotens habens infinita media, extrà condignam satisfactionem, ob quam incarnatio necessaria fuit, ut statim dicetur.

Tertia pars probatur. Quia convenientius fuit, ut homo non repararetur à lapsu, nec ipsi remitteretur offensa peccati, nisi præstitâ rigorosâ justitiæ divinæ satisfactione; atqui ad hanc necessaria fuit incarnatio: quia nulla pura creatura hanc præstare poterat.

Obj. 1. Deus non potest non facere, quod est optimum: quia non facere optimum est imperfectior cum sit carentia perfectionis: atqui incarnatio est optima & convenientissima; ergo Deus non potuit non incarnari.

R. Distinguendo maj. Deus non potest non facere, quod est optimum ex parte operis N. repugnat enim divinæ libertati & infinitæ perfectioni, quâ sibi sufficientissimus est, ut dependeat ab opere externo. Non potest non facere optimum ex parte operantis *Con. explico*: faciendo hoc discrimen inter voluntatem Dei & creaturæ; voluntas Dei omnem suam perfectionem habet à sola sua bonitate, ex cujus infinito ac proinde semper æquali amore operatur, quidquid operatur, ita ut nullo modo fiat imperfecta per hoc, quod extrâ se eligat aliquod objectum, relicto alio objecto perfectiore: cum à creaturis quantumlibet perfectis nullam possit accipere perfectionem; at voluntas creata accipit perfectionem intrinsecam per ordinem ad objectum extrinsecum, adeoque, quo eligit perfectius opus, eò habet majorem intrinsecam perfectionem, & per consequens per Electionem objecti imperfectioris, habet imperfectionem moralem seu careniam majoris honestatis.

Obj. 2. Ad quod Deus summam habet inclinationem, id non potest non facere; atqui ad se communicandum ad extrâ habet summam inclinationem; cum hoc habeat ex natura sua, ex qua est summè bonus; ergo non potest se non ad extrâ communicare, quod maximè fit in incarnatione.

R. Distinguendo min. Deus habet summam inclinationem communicandi se ad extrâ materialiter & subjectivè *Con. formaliter & objectivè N. Explico.* Inclinatio divina entitativè, subjectivè & materialiter est ipse Deus & consequenter est infinita, exigentia autem ex parte objecti talis inclinationis non est infinita, sed finita; aliter igitur Deus ex sua bonitate habet inclinationem infinitam ad bona extrinseca. quàm ad intrinseca bona:

ad

DE MOTIVO ET NECESS. INCARNAT. 17

ad intrinseca habet inclinationem tanquam ad aliquid intrinsecum cum indispensabili eorum exigentiâ , sed ad extrinseca bona habet inclinationem tanquam ad aliquid sibi liberrimum absque ullâ eorum exigentiâ , quæ inclinatio , si loquamur de innatâ est ipsa natura divina, si loquamur de elicita, est amor Dei, vel complacentia de bono creato , quod non habet bonitatem infinitam, sed limitatam & admixtam malis & imperfectionibus.

Obj. 3. Deus est summè laudabilis & amabilis , atqui , si Deus non esset incarnatus , esset minus laudabilis & amabilis , quàm modo sit , cum de facto ob mysterium incarnationis laudetur & ametur.

R. Distinguendo Min. Esset minus laudabilis & amabilis in se aut ex defectu alicujus bonitatis aut perfectionis divinæ N. ex defectu bonitatis aut perfectionis in nobis Con. tunc enim per accidens ex defectu cognitionis bonitatis divinæ, quam nos ex operibus Dei externis agnoscimus, minus excitaremur ad laudandum & amandum Deum.

Obj. 4. Deus amat se infinite ; ergo vult sibi majus bonum : quia quo amor est major & perfectior , eò perfectiora bona vult amato ; ergo vult majorem glorificationem & gloriam externam ; atqui optimum medium glorificationis & gloriæ externæ est incarnatio ; ergo necessariò vult incarnationem.

R. N. Ant. Cujus probatio distinguitur : quòd amor est perfectior , eò vult majus bonum amato , si is illo indigeat ad aliquam suam felicitatem Con. si non indigeat illo N. cum igitur Deus ad suam felicitatem nostris bonis non egeat , quid-

quid ad sui extrinsecam glorificationem producit vel vult, liberrimè producit, eodem semper modo suum ultimum finem suæ perfectionis & bonitatis sufficientissimè possidens. *Adde*: Quod licet in genere glorificationis extrinsecæ incarnatio de facto sit præstantissima, non defuissent tamen Omnipotentia divinae alii modi meliores in infinitum suam gloriam ostendendi: cum ipsa glorificatio extrinseca pertineat ad ordinem creatum, in quo optimum & perfectissimum, quo perfectius produci nequeat, implicat.

Obj. 5. S. Aug, l. 3. de Lib. arb. cap. 5. dicit: *Quidquid tibi verà ratione melius occurrerit, scias Deum tanquam bonorum omnium conditorem fecisse;* Ergo Deus semper facit optimum, & consequenter necessariò facit optimum.

R. Deus semper facit optimum, 1. mò Negativè quatenus semper operatur absque omni inordinatione, malitiâ, imprudentiâ aut aliâ imperfectione positivâ. 2. mò, Facit optimum quoad Electionem mediorum, quatenus semper operatur & vult optimum ad finem efficaciter intentum tali vel tali modo consequendum. 3. mò Operatur optimum quoad modum operandi: quia semper operatur ex summa sapientia & bonitate quoslibet effectus ordinatissimè ad suos fines referendo.

Q U Æ S T I O II.

An pura creatura potuerit condignè satisfacere?

Suppono 1. Homo purus est, qui per unionem hypostaticam non est simul homo & Deus.

2. Satisfactio genericè accepta est voluntaria compensatio æquivalentis pro æquivalente, & sic comprehendit etiam sub se restitutionem rei pro

re. Satisfactio specificè accepta est voluntaria red-
ditio honoris & reverentiæ æquivalentis adcom-
pensandam injuriam alteri illatam.

3. Offensa eò est major & gravior, quo dig-
nior est persona offensa: quantò enim persona
est dignior, tantò præstantius ipsi jus competit
ad honorem & reverentiam sibi exhibendam, cum
igitur per injuriam & inhonationem illud jus
personæ violetur, tantò gravior erit injuria, quò
dignior persona. Quomodo autem ex dignitate
Dei infinita non intrinsecè sed tantum extrinsecè
fiat peccatum in ratione offensæ infinitum videatur
1. 2. Disput. XIII. Q. II.

4. Satisfactio pro præcipua mensura sui va-
loris habet personam satisfaciendam: quantò enim
dignior est persona, quæ satisfacit, tantò est
major valor satisfactionis; in satisfactione enim
persona satisfaciens se submittit in exhibitione
honoris & reverentiæ ergà illum, cui fit satisfactio;
cum igitur honor ex parte honorantis, & submis-
sio se teneat ex parte se submittentis, sequitur: quod
valor satisfactionis: hoc est æstimabilitas & dig-
nitas actionis, quæ est apta ad æqualem com-
pensationem faciendam pro mensura dignificante
habeat personam satisfaciendam.

Procedit autem quæstio de peccato mortali,
quod tantum est simpliciter peccatum & offensa
Dei, ut Disput. cit. ostensum est, non verò de
peccato veniali, quod est peccatum tantum secun-
dum quid, potest enim homo purus gratiâ
sanctificante ornatus pro peccato veniali proprio
satisfacere condignè, ut præviè ita ostenditur:
Actus dilectionis vel contritionis elicited ab homi-
ne justo adæquat, imò superat in valore & dignitate
offensam peccati venialis, ergo potest homo con-

o DISPUTATIO II.

dignè satisfacere per illum actum pro peccato veniali, sicut enim est tantum peccatum secundum quid, voluntatem non avertens ab ultimo fine, neque destruens amicitiam Dei, ita solum Analogicè, & secundum quid est offensa Dei, nequidem infinita secundum quid, quæ solum meretur pœnam temporalem; actus autem contritionis vel dilectionis ab homine iusto elicitus est satisfactio à persona Deo grata & participativè divina, est efficax conversio in Deum ut ultimum finem, est condignè meritoria vitæ æternæ. *Addidi*: pro peccato veniali proprio: quia secundum præsentem Dei Legem (nulla enim videtur implicantia, quin Deus per absolutam suam potentiam ordinare possit, ut unus homo mereri posset aliis augmentum gratiæ & per consequens remissionem peccati venialis) nemo potest alteri de condigno mereri augmentum gratiæ, ut docetur 1. 2. Disputat. XXIX. de Merito; Ergo nec remissionem peccati venialis, quod nunquam remittitur, quin antecedenter infundatur & augeatur gratia.

Nec obest, quod possit homo pro alterius pœna peccato veniali debita satisfacere; ergo & pro culpa; Contra enim est: quod satisfactio pro culpa requirat augmentum gratiæ, quod esse nequit, nisi in proprio subjecto habente gratiam, si non habeat gratiam Capitalem, tale verò augmentum non requirit satisfactio pro pœna.

Dices 1. Si purus homo possit condignè satisfacere pro peccato veniali; Ergo satisfactio Christi non fuit necessaria respectu peccatorum venialium, nec iusti tenentur orare: *Dimitte nobis debita nostra*: cum possint pro peccatis venialibus condignè satisfacere.

2. N. consequentiam; Quia etiam ad remissionem

tionem
tum sa
bus, ut
ita neq
hac gra
gratia
Dice
purus h
persona
offensa
2. I
citer pe
docuic
est off
ipsum
tit ab u
autem
tem off
ditur &
ultimi f
est de h
sine gra
nienter
ut in te
Qua. 2
accepta
facta n
Lice
re pro p
mabili
peccat
tamen
supern
& libe
nume

sionem peccatorum venialium indigemus gratiâ, tum sanctificante, tum actuali, sine cujus virtutibus, uti non potest ullum opus supernaturale esse, ita neque satisfactorium pro peccato veniali, & hæc gratia datur ex meritis Christi, ac pro hæc gratia obtinenda iusti orant.

Dices 2. Juxta statim dicenda: Pro mortali purus homo satisfacere non potest, quia est offensa personæ infinitæ; atqui etiam peccatum veniale est offensa personæ infinitæ; ergo.

æ. Distinguendo maj. Quia est offensa simpliciter personæ infinitæ Con. quia est offensa quomodocunque personæ infinitæ N. at peccatum veniale est offensa secundum quid personæ infinitæ, ad ipsum efficaciter non pertingens: quia non avertit ab ultimo fine nec destruit amicitiam. Tunc autem persona infinita tribuit hoc modo infinitatem offensæ, quando simpliciter & graviter offenditur & à persona infinita affectivè tollitur ratio ultimi finis. Igitur potest iustus satisfacere, aliud est de homine in peccato mortali constituto: quia sine gratia nullum opus meritorium, & convenienter nec condignè satisfactorium fieri potest: ut in terminis docet S. Th. in 1. dist. 15. Q. 1. a. 3. Qlâ. 2. in O. *Quod opera satisfactoria sint Deo accepta, dat eis Charitas, & ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.*

Licet autem homo possit Deo condignè satisfacere pro peccato veniali, exhibendo opus tantæ æstimabilitatis, quantæ æstimabilitatis ex opposito erat peccatum veniale in ratione offensæ, non potest tamen satisfacere de rigore justitiæ: cum omnia supernaturalia iustorum opera ex gratia Dei gratis & liberaliter donata proveniant, sintque Deo innumeris titulis debita, eidemque titulo inabdica-

bilis domini subjecta. Quibus præmissis de peccato mortali.

DICO ; *Hominis puri satisfactio sufficiens esse non potnit.* S. Th. hic Q. 1. a. 2. ad 2.

Probatur : Nulla satisfactio infimi ordinis adæquat offensam supremi ordinis : quia quæcunque sunt ordinis inferioris, quomocunque crescant in suo ordine, nunquam assequuntur perfectionem superioris ordinis ; sic qualiscunque perfectio naturalis superaddita intellectui non adæquat perfectionem luminis gloriæ. Venialia, quantumvis multiplicata, non pertingunt ad gravitatem mortalis peccati, injuria facta in bonis superioris ordinis ut vitâ, honore, non adæquatur per bona fortunæ, tanquam ordinis inferioris ; atqui satisfactio quæcunque puræ creaturæ est infimi ordinis, & offensæ peccati mortalis supremi ordinis : quia gravitas offensæ desumitur à dignitate personæ offensæ comparata ad vilitatem personæ offendentis, è contrâ satisfactio à dignitate personæ satisfaciens comparatâ ad eum, cui satisfacit ; sed nulla offensæ est excogitabilis, quæ ascendat ad distantiam illam, quæ est inter dignitatem Dei offensi & vilitatem personæ offendentis, ideoque offensæ Dei est in supremo ordine. Econtrâ autem pura creatura, quantumcunque gratiâ & bonis supernaturalibus exornata, Deo satisfaciens adhuc infinitè ab eodem distat, ideo satisfactio puræ creaturæ Deo facta est in infimo ordine satisfactionis, cum quælibet persona creata satisfaciens alteri creaturæ offensæ sit utique majoris dignitatis & minoris distantia, quam in ordine ad increatam personam Dei.

Obj. 1. Malitia peccati etiam in ratione offensæ est tantum infinita secundùm quid extrinsecè & objectivè, atqui hæc malitia adæquari potest per
actum

actum puri hominis: v. g. per actum charitatis, qui etiam extrinsecè & objectivè infinitus est, utpote respiciens Deum super omnia amabilem.

R. Distinguendo probat. Min. Actus charitatis est etiam infinitus extrinsecè in ratione honestatis moralis Con. in ratione satisfactionis N. non enim dignitas & valor satisfactionis ab objecto, sed à personæ satisfaciendæ dignitate sumitur.

Nec obstat: Quod homo gratiâ sanctificante ornatus sit persona participativè divina; nam etiam ut sic Deo comparatus est infinitè vilior & ordinis inferioris, quam Deus, ac proinde non potest condignam satisfactionem reddere; siquidem offensa suam gravitatem accipit à persona essentialiter & imparticipativè infinita.

Obj. 2. Ille condignè satisfacit pro peccato, qui tantum reddit, quantum abstulit; atqui hoc potest facere pura creatura, abstulit enim per offensam à Deo non realiter, sed affectivè quoad affectum rationem ultimi finis, hoc totum reddit quoad affectum per actum dilectionis, & sicut in actu peccati Deus virtualiter postponebatur creaturæ, ita in actu dilectionis præponitur omnî creaturæ, & appretiativè diligitur super omnia.

R. Distinguendo Maj. Condignè satisfacit, qui tantum reddit, quantum abstulit actu adæquante in suo valore gravitatem injustæ ablationis Con. non adæquante N. in hoc enim differt satisfactio pro injuria illata, & honore ablato à restitutione pro re ablata, quia in hac spectatur æqualitas rei ad rem, in illa æqualitas inter valorem obsequii & gravitatem offensæ vel injuriæ.

Obj. 3. Ille adæquatè satisfacit, qui reddit quantum potest & debet; hoc facit homo per actum dilectionis: cum ulterius non possit nec obligetur.

℞. Qui reddit quantum potest & debet adæquatè satisfacit satisfactione obligationem adæquante Con. satisfactione gravitatem offensæ adæquante N.

Obj. 4. Illa satisfactio est adæquata offensæ, quæ tantum Deo placet; quantum displicebat offensæ; atqui actus dilectionis tantum Deo placet, quantum displicebat offensæ.

℞. Distinguendo maj. Qui tantum Deo placet in ratione satisfactionis, quantum Deo displicebat offensæ in ratione offensæ Con. quæ tantum Deo placet in ratione boni moralis quantum displicebat offensæ in ratione mali moralis N. actus autem dilectionis tantum Deo placet in ratione boni moralis, quantum offensæ in ratione mali moralis displicebat.

Obj. 5. Per illam operationem adæquatè satisficit, per quam in creditore tollitur Jus ad ulteriorem satisfactionem exigendam; atqui hoc fit per contritionem, quæ est impossibilis cum peccato, & per quam destruitur peccatum, quod erat fundamentum justæ indignationis, dabatque jus ad exigendam satisfactionem.

℞. Distinguendo Mi. Contritio tollit & destruit peccatum, & consequenter jus ad ulteriorem satisfactionem propter intrinsicum valorem & æstimabilitatem contritionis N. propter naturalem repugnantiam Con. contritio igitur est impossibilis cum peccato impossibilitate naturalis repugnantia; eò quod sit efficax conversio in finem ultimum; non tamen impossibilitate orta ex valore & æstimabilitate operationis, quod requireretur, ut condignè satisficeret.

Q U Æ S T I O II.

An si homo non peccasset, Filius Dei incarnatus fuisset?

Suppono 1. In decretis divinis distingui aliqua signa rationis, ad distinguenda & ordinanda objecta volita, & denotandas diversas habitudines ejusdem simplicissimi actus ad diversa objecta; ideoque assignare in voluntate divina diversa signa antecedentia & consequentia, nihil aliud est, quam dicere: plura objecta ita à Deo esse volita, ut velit unum dependere ab alio, unum tanquam rationem & finem, aliud tanquam effectum & medium, unde hujus dicti: Deus in priori signo decrevit permissionem peccati, & in posteriori signo incarnationem: Sensus est: quod Deus voluerit incarnationem dependenter à redemptione generis humani tanquam motivo, quæ redemptio supponit & includit permissionem peccati.

Suppono 2. In istis instantibus & signis rationis nullum debere formari conceptum futuritionis, eò quod in ente per essentiam necessario & æterno implicet unum non coexistens alteri, quare ista prioritas signorum & instantiura non est prioritas durationis sed virtualis prioritas causalitatis & dependentiæ desumpta ex connexionione & dependentia objectorum volitorum inter se.

Suppono 3. Quamvis in Deo non sit nisi unicus simplicissimus actus intellectus & voluntatis identificatus cum ipsius essentia intellectu & voluntate, tamen per Analogiam & similitudinem ad nostros actus, quos omnes actus divinæ voluntatis eminenter continet, varios actus & decreta in Deo distinguimus; unde quia agens intellectuale crea-

tum, antequam se determinet ad executionem finis per illos actus, qui pertinent ad ordinem executionis, nempe imperium & usum, prius in ordine intentionis constituit sibi finem per amorem & intentionem finis, ordinat media ad finem per electionem. Hinc etiam in divinis distinguimus decreta intentiva, quæ pertinent ad ordinem intentionis, & executiva, quæ pertinent ad ordinem executionis. His suppositis

DICO: *Peccato non existente incarnatio non fuisset.* S. Th. hic Q. 1. 2. 3. O.

Probatur: Non existente principali motivo incarnationis, non fuisset incarnatio; sed non existente peccato, non existeret principale motivum incarnationis, ergo. Probatur Mi. Non existente peccato non fuisset remedium peccati; sed non existente remedio peccati, non existeret principale motivum incarnationis: hoc enim in S. Scriptura & à SS. Patribus pro unico motivo assignatur, non autem excellentia istius mysterii; de hâc enim SS. PP. nullam faciunt mentionem, probatur hoc ex illo Matth. 18. v. 11. *Venit Filius hominis salvare, quod perierat.* Joannis 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat.* 1. Joan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Ex Symbolo Nicæno: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de calis.* Consonant SS. PP. qui ferè semper pro motivo incarnationis redemptionem generis humani adferunt.

Nec valet Scotistarum Responsio contendentium Scripturam & PP. excludere unionem Verbi cum Carne passibili, non autem cum Carne impassibili, quam ob excellentiam tanti mysterii Deus induisset

induisset, homine non peccante.

Contra enim est 1. Gratis id fingi à Scotistis absque ullo fundamento è S. Script., aut traditione eruibili.

2. Si Verbum nullo existente peccato advenisset in carne impassibili ob complementum universi, vel ob excellentiam unionis hypostaticæ, falsa esset SS. PP. assertio, quâ simpliciter dicunt Christum non venturum fuisse non existente peccato; sicuti falsum proferret, qui diceret absolutè Petrum non esse profecturum Romam, quia non est profecturus illuc ad otcula Pedum Summi Pontificis, si reipsâ illuc esset venturus ad expedienda sua negotia.

3. Christus vi efficacis intentionis & decreti divini debebat venire vel ut passibilis vel ut impassibilis, non ut impassibilis: aliàs actu ità venisset: cum decretum efficax ponat suum effectum; ergo ut passibilis.

Obj. 1. Habito motivo principali incarnationis fuisset Verbum incarnatum; sed homine non peccante fuisset principale incarnationis motivum; quia id est manifestatio divinatorum attributorum, quæ æquè per mysterium incarnationis facta fuisset, etsi hominis peccatum non præcessisset.

2. Distinguendo probat. Principale motivum est manifestatio attributorum præcisè secundum se, quasi in abstracto, abstrahendo à modis particularibus eam consequendi N. est manifestatio divinatorum attributorum prout consequenda per Redemptionem generis humani Con. motivum principale per se vel se solo determinans ad decernendum, quidquid liberè Deus decernit, non est gloria Dei quomocunque spectata, sed ut talibus mediis assequenda.

Obj. 2.

Obj. 2. Deus id medium prius voluit, quod propinquius est fini, atqui propinquior est fini generali operum Dei, qui est manifestatio bonitatis & gloriæ divinæ, incarnatio, quam redemptio humana, cum in illa utpote incomparabiliter perfectiore magis eluceat potentia, sapientia & bonitas Dei; ergo non voluit incarnationem ob redemptionem.

R. Deus vult prius medium propinquius fini propinquitate utilitatis ad finem taliter intentum. Con. quod est propinquius propinquitate dignitatis, & perfectionis N. finem igitur à Deo intentum, ostendendi divitias tam suæ justitiæ quam misericordiæ & charitatis ergà genus humanum, melius Deus assequebatur, ordinando Christum in remedium peccati, quam si absolutè ipsum misisset.

Obj. 3. Non est conveniens, quod bonum majus ordinetur ad bonum minus; quia est inordinatum & contrà ordinem naturæ, ut aliquid sit propter vilius se, & quod præstantiora subjiciantur vilioribus; sed incarnatio est bonum præstantius, & redemptio est minus; ergo inordinatum foret, quod incarnatio esset ob redemptionem.

R. Distinguendo Maj. Est inordinatum, quod bonum majus ordinetur ad bonum minus ordinatione naturali & necessariâ, non relatâ ad ulteriorem finem præstantissimum. Con. ordinatione morali & liberâ relatâ ad ulteriorem finem præstantiorem N. sic Sacerdos rectè offert sacrificium Missæ pro bono temporali v. g. pro sanitate obtinenda. Deus mittit Angelos ad nostram custodiam. Non est inordinatum in iis, quæ absolutè liberum est nolle vel velle, nec sunt absolutè

sub-

subordinata inter se ; perfectius ordinare ad id, quod est minùs perfectum, tanquam ad finem cui priùs efficaciter intentum; unde cum Deus sit agens liberrimum ad extrà, sicut potest simpliciter nolle, ut existat illud, quod perfectius est v. g. Christus, ita potest id ordinare ad illud, quod est imperfectius v. g. ad hominem redimendum ; maximè cum finis generalis & ultimus omnium à Deo volitorum sit infinita Dei bonitas.

Obj. 4. Si Christus venit occasione peccati, jam Incarnatio erit bonum occasionatum ; hoc videtur absurdum, ergo.

R. Distinguendo maj. Erit bonum occasionatum id est de facto volitum, occasione peccati Con. id est fortuitum N.

Obj. 5. Licet gaudere de illo, quod est occasio boni, sed si Incarnatio sit facta ob Redemptionem hominis, peccatum erit occasio incarnationis ; ergo licebit gaudere de peccato, quod est absurdum.

R. Licet gaudere de eo, quod est occasio boni, si in se habeat aliquam bonitatem Con. si nullam habeat in se bonitatem N. Unde nunquam licet gaudere de peccato, quanquam liceat gaudere de extrinseca ordinatione ex misericordia Dei malum peccati ordinante ad aliquod bonum, juxta id, quod canit Ecclesia : *O felix culpa, qua talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

Obj. 6. Si Christus venit ob hominem, Deus plus amavit hominem, quàm Christum : magis enim amatur finis, quàm medium ; homo redimendus est finis ; ergo magis amavit hunc, quàm Deum hominem id est Christum.

R. Distinguendo : Magis amatur finis non ultimatus & libertatis N. Finis ultimatus & necessarius

riò intentus Con. sic, qui ex charitate ministrat infirmo, non convincitur plus amare infirmum, quàm se, licet ordinet se ad infirmum: *Adde*; quòd dilectio Dei sit effectiva, ideoque Christus præ omni creatura est dilectus: eò, quòd illius humanitati majora dona, quàm ulli creaturæ concesserit, omnesque in illius gloriam ordinaverit.

Q. An prius secundùm rationem fuerit prævisum peccatum, quam intelligatur fuisse decretum Incarnationis, aut econtra?

R. In priori rationis fuisse prævisionem peccati, in posteriori verò fuit decreta Incarnatio, quoniam ut ex jam dictis patet, Incarnatio fuit decreta in remedium peccati.

Dices 1. Christi Incarnatio fuit decreta ante decretum de mundo condendo ut videtur probari ex illo Prov. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* aliisque Scripturæ textibus; ergo Christi Incarnatio est prior in intentione.

R. Distinguendo consequens: ergo est prior in intentione prioritate dignitatis Con. prioritate voluntatis, causalitatis & motivi finalis N. cum enim tam clarè Scriptura & SS. PP. dicant, Verbum Dei ob nostram salutem fuisse incarnatum, consequenter est dicendum, decretum prædestinationis Christi esse ratione posteriori voluntate creandi mundum & salvandi homines.

Dices 2. Finis est prius intentus, his quæ sunt ad finem, sed Christus est finis omnium prædestinatorum omnisque creaturæ: juxta Trid. Sess. 6. de Justif. cap. 3, Gloria Christi est finis nostræ prædestinationis & 1. ad Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt ... Vos autem Christi*; ergo intentio Christi venturi præcedit voluntatem producendi ullam creaturam.

R. Di-

R. Distinguendo min. Christus ut incarnandus est finis operum Dei N. nam Incarnatio est potius medium ordinatum ad hominis redemptionem. Christus ut glorificandus est finis operum Dei, subdistinguo: producendorum N. productorum Con. Deus itaque non produxit hoc universum ob intentam Incarnationem, sed postquam Deus decrevit Incarnationem ob redemptionem generis humani, quod prævidit in Adamo peccaturum, Deus omnem creaturam & ipsam quoque hominis salutem & redemptionem ordinavit in honorem & gloriam sui filii, ita ut Christus quâ glorificandus fuerit finis præintensus ad omnes creaturas quatenus relatas & destinatas ad glorificationem ejus, non verò quatenus productas, sicut Princeps mittens medicum ad procurandam sanitatem ægroti, potest ipsum effectum procuratæ sanitatis ordinare ad medici majorem gloriam.

Ex dictis *Colliges 1.* quod, licet Christus sit prædestinatus ad existentiam post Adamum ejusque peccatum absolute prævisum, fuit tamen prædestinatus ad gloriam ante Adamum: cum sit primus prædestinatorum, ac causa exemplaris & meritoria prædestinationis; unde Adamus non fuit prædestinatus ad gloriam, nisi post prævisum ejus peccatum & Christum, per cujus merita accepit Adamus gloriam & omnem suam gratiam, etiam illam, quam habuit ante peccatum, non quidem ut primò datam, sed ut pœnitenti restitutam, sub qua ratione fuit effectus prædestinationis.

Colliges 2. Redemptionem generis humani posse dupliciter considerari, 1. ut volitam per voluntatem antecedentem & providentiam generalem, quâ Deus vult omnes salvos fieri & redimere, & sic præcessit, fuitque motivum Incarnationis, 2. Ut voli-

volitam per voluntatem Dei consequentem, & sic est post decretam Incarnationem, cujus est effectus: quia ut est dictum, postquam decrevit Deus permittere lapsum Adami, voluit mederi, & ad hoc ut medium elegit Incarnationem Christi,

Q U Æ S T I O I V.

Ob quod peccatum tollendum Incarnatio sit facta?

DICO. Certum est, Christum venisse in hunc mundum, non solum ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros; sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quae postmodum superaddita sunt. S. Th. hic Q. 1. a. 4. O.

Probatur 1. ex Script. 1. Joan. 1. v. 7. Sanguis Jesu Christi emundat vos ab omni peccato. 2. quia vi praesentis decreti Christus venit, ut perfectus Redemptor, adeoque ad removenda omnia obstacula aeternae beatitudinis, atqui non tantum originale, sed etiam actualia sunt illius obstacula; ergo propter utraque venit.

Principaliter tamen venit ob originale, quia Jo. 1. v. 29. dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi*, quo per interpretes intelligitur peccatum originale. 2. quia venit ad salutem generis humani, cui magis obstat peccatum originale, per quod tota natura infecta fuit. 3. quia ex peccato originali tanquam ex radice alia peccata oriuntur; unde etiam existente solo peccato originali, utpote principali motivo Christus vi praesentis decreti venisset, non tamen existentibus solum peccatis actualibus; cuius ratio est: quia Christus vi praesentis decreti venit ad reparandum genus humanum; sed solum peccatum originale

nale est vitium totius generis humani, dantque hanc rationem SS. PP. quare redemerit hominem, non Angelum, quia totum genus humanum erat infectum per peccatum originale. Ergo

Nec obstat; quod peccata actualia sint graviora intensivè, quàm originale, quia peccatum originale, licet sit minoris malitiæ & gravitatis multis peccatis personalibus, est tamen majus extensivè, & vitiavit totum genus humanum, ad quod reparandum Christus vi præsentis decreti venit.

Obj. Cessante totali motivo Incarnationis Christus non venisset; sed si nulla extarent peccata actualia, non esset totale motivum incarnationis; siquidem Christus non tantum venit propter originale, sed etiam ob delenda peccata actualia.

R. N. Mi. Cujus probatio distinguitur; Christus venit ob peccata actualia in quantum continentur in originali Con. independenter ab originali N.

Inst. Juxtà commune SS. PP. & Ascetarum proloquium, Christus tanti æstimat quamcunque animam, ut pro salute etiam unius sit paratus mori; ergo Christus venit de facto ob peccata actualia independenter ab originali, consequenter, non existentibus nisi solis actualibus, venisset.

R. SS. PP. & Ascetas esse intelligendos, quod Christus tantâ charitate mortem subierit pro omnibus, ut paratus fuerit etiam pro singulis mortem subire, quantum est ex affectu patientis; ex quo tamen non sequitur, quod, uno homine post Adamum peccante, etiam vi præsentis decreti Christus venturus fuisset.